

DE INFIRMANDIS POENIS CAELIBATUS ET ORBITATIS
ET DECIMARIIS SUBLATIS.

8.58.1

Imp. Constantinus A. ad populum.

Qui iure veteri caelibes habebantur, imminentibus legum terroribus liberentur atque ita vivant, ac si numero maritorum matrimonii foedere fulcirentur.

Sitque omnibus aequa condicio capessendi quod quisque mereatur.

Nec vero quisquam orbus habeatur: proposita huic nomini damna non noceant.

¶ Quam rem et circa feminas aestimamus earumque cervicibus imposta iuris imperia velut quaedam iuga solvimus promiscue omnibus.

PP. k. April. Romae Constantino A. VI et Constantino C. consss.

[a. 320]

8.58.2

Impp. Honorius et Theodosius AA. Isidoro pu.

Inter virum et uxorem rationem cessare ex lege Papia decimarum et, quamvis non interveniant liberi, ex suis quoque eos solidum capere testamentis, nisi forte lex alia minuerit derelicta, decernimus, tantum igitur post haec maritus vel uxor sibi invicem derelinquant, quantum superstes amor exegerit.

D. prid. non. Sept. Varane cons.

[a. 410]